

www.e-rara.ch

M.T. Ciceronis Libri Tres De Officiis

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1541

Zentralbibliothek Solothurn

Shelf Mark: ZBS Rar 1963

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-89746>

Voces aliquot annotatae ex Officiis M. Tullii, per Erasmus Roterodamum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

VOCES ALIQVOT

ANNOTATAE EX OFFI-

cijs M. Tullij. per Irasmum Roterodamum. Ex præfatione.



Communis est omnium philosophorum.)
Cum dicamus, hoc mihi cum illo commune
est, Commune tamē omnium dicitur, potius
quā omnibus. Etiam si in eodem hoc li-
bro scripsit: Multa enim ciuibus inter se cōmunia: nec re-
ciprocī seruata proprietate, si modō locus mendo uacat.
2 Hic si sibi ipse consentiat.) Consentit sibi, qui constat
sibi, suiq; similis est. Vtrunque rectē dicimus, Consentit
illi, & Consentit cum illo.

Ex primo libro annotationes.

3 Auemus aliquid audire.) Auere pro cupere, uides &
oratoribus usurpatum.

4 Perspicientia ueri.) Hoc annotaui, quōd rarius est
Perspicientia sicut intelligentia.

5 Hisq; temere assentiamur.) Assentimus homini, cui
credimus: & assentimur rebus, quas credimus, ut liquet
ex hoc loco.

6 Qua societas hominū inter ipsos.) Ipse pronome pro-
ximum est naturæ reciprocōrū: ideoq; hoc loco ponitur,
ubi uera reciprocatio non est, sed quiddam illi similitū.

7 Vel benignitatem.) Hic palām docet M. Tullius be-
nignitatem non significare mansuetudinem, quemadmo-
dum uulgus putat, sed beneficentiam, ac liberalitatem.

8 Iustum dicit, non tantū qui suū cuiq; reddit, uerū etiam
probum

IN I. LIB. DE OFFIC.

probum, omniq; uirtute præditum, more Hebræorum.

9 Occupatio.) Quare uacuam usurpamus primi.

10 Conditione.) Pro conuentione.

11 Ad usum hominum omnia creari.) Creari dixit, pro parari, Græcis κτίζω.

12 Ipsi inter se, alij alijs prodesse possint.) Quod Græci dicunt ἀλλήλοις, hic uertit, alij alijs.

13 Tam est in uitio, quam si parentes.) Vulgatum est, In culpa, in crimine, in causa, in mora esse. Inusitatus autem in uitio esse, pro eo quod est peccare.

14 Expetuntur autem diuitiæ.) Expetimus res egregias, aut ut egregias: Appetimus ad quæ ferimur affectu magis, quam iudicio.

15 Cum hoste pactæ induciæ.) Vt homo pactus dicitur, cui promissum est aliquid: ita res pacta dicitur, quæ pacto promissa est.

16 Nationes bello deuictas in fidem cepissem,) Dedo me tuæ fidei, Do me in fidem tuam: Cæ Capiō te in fidem.

17 Cum de captiuis commutandis Romam missus esset.) Nouè dixit, Missus est de hac re, pro eo, quod erat, missus est, ut ageret de captiuis commutandis.

18 Sed cum ijs, in quibus non præclare agitur, sed sunt simulachra uirtutis.) Conijcio sic legendū: Sed cum his, quibus cū præclare agitur, si insunt simulachra uirtutis.

19 Vt enim ab illa discedatur infinitate.) Infinitas pro immensitas, uox est non admodum frequens.

20 Interius etiā est.) pro coniunctius, siue magis affine.

21 Post cōsobrinorū, sobrinorumq;.) Videtur appellare patruales consobrinos, sobrinos duarum sororum filios.

- 22 Sed omnes omnium charitates.) Rarum est charitates numero multitudinis.
- 23 Quo est detestabilior istorum immanitas.) Pro, eoq; est detestabilior.
- 24 Principes sint patria & parentes.) Principes dixit primi loci, quæadmodum & principē uitæ diem dicimus.
- 25 Quocirca nemo.) Quocirca pro quāobrem, siue idcirco. Id annotavi, quòd multi uitent hoc uerbi ceu parum Latinum. Utitur hac uoce & inferius aliquantò.
- 26 In hac elatione, & magnitudine animi.) Elatio dixit etiam in bonam partem.
- 27 Existuntq; in repub.) Existunt pro oriuntur, iam & antè dixit.
- 28 Largitores & factiosi.) Vt largitio in malū sonat, ita largitor, hoc sanè loco. Et tñ largitor inusitata uox est.
- 29 Quod maximè natura sequitur.) Sequi dicitur, qui expetit: assequi, qui obtinet.
- 30 Qui ex errore imperitæ multitudinis pendet.) Pendet hinc, & pendet ex hac re. Horat. dixit, De te pendentis. etiam si nonnulli codices habent de errore.
- 31 Hic in magnis uiris non est habendus.) Pro, in numero magnorum, Græco more, nequis hoc reprehendat alibi lectum.
- 32 Non est autem consentaneum.) Pro eo quod est, non est probabile, siue pugnat, neq; cohæret & c.
- 33 Parum enim sunt foris arma.) Parum dixit pro non satis sunt, siue non sufficiunt. In nonnullis, pro parum, scriptum erat parua. Vide num rectè legatur, Parui.
- Et heredi

IN I. LIB. DE OFFIC.

34 Et hereditas huius gloriæ.) Hereditas hominis dicitur, qui succedit: & reſ dicitur hereditas, in cuius poſſeſſionem ſucceditur: Vt hereditas regni Dei.

35 Hæc ſunt opera magni animi.) Quod Græci ἔργα, hic uertit opera. Nos frequentius dicimus facta, q̄ opera.

36 Periculofa, & calida conſilia.) Vt & Græci, facinus audax ὁρμητικὸν ἔργον uocant.

37 Nunquam omnino periculi fuga committendum.) Committere pro facere, ſed in malam partem.

38 In diſcrimen uocantur.) qui ueniunt in periculum.

39 De gloria uocantur in diſcrimen.) qui gloriæ cauſa periclitantur: quod ut nouè dictum annotare uiſum eſt.

40 Vnū ut utilitatem.) ὅτι Græco more dixit, neq; tamen non Latine, quanquā uſitatius eſt, alterum & alterum.

41 Honorum (que contentio,) Nouè dixit, contentionem honorum. contentionē ſuſceptam honorum gratia. Nam honores uocat magiſtratus.

42 Similiter eos facere.) Nouè ſimiliter aduerbio ſubdidit, ut ſi nauæ inter ſe certarent. perinde atque, uſitatius eſt.

43 Ad uoluntatē noſtram fluentibus.) ῥέοντων. Et hoc à Græcis ſumpſit. Sumpta metaphora ab æſtu maris, aut fluminis, uentisq; In nonnullis reperi ſcriptum, ad uoluptatem: ſed mēdoſè, ni fallor: etiamſi Græci dicūt πρὸς ἡδονήν.

44 Nec adulari nos ſinamus.) Videtur paſſiue dixiſſe adulari, pro adulatione deleniri.

45 Cum antegreſſa eſt honeſtas.) Id eſt, cum præceſſit. Nouè dixit Cicero, quod fortasſe Græcus diceret προκεῖται, ſiue προηγάν.

46 Etiam uitiosis quid conueniat.) Vitiosos dicit improbos, secus quam mancipium, equum, aut donum uitiosum dicimus. Ne hoc quidem admodum frequens.

47 Ajax quo animo traditur.) Hanc sermonis formam satis annotauit Valla.

48 Quatenus sermo delectationem habeat.) Quatenus pro inquantum, & quemadmodum.

49 In domum multiplicatam.) Multiplicatam dixit pro auctam. Nam quod proximarum ædium solum fuit, ædibus adiunxerat Scæurus.

50 Et ut in cæteris est habenda ratio, non sua solum, sed aliorum.) Opinor pro sua legendum sui. Et ratio reciproci pronomini seruabitur, si subaudias, habenda homini.

51 Aliter domus ampla dedecori domino sæpe fit.) Planè aliter usurpauit pro alioqui.

52 Ne extra modum prodeas.) Id est, ne modum excedas.

53 Inhumanus uideatur inscitia temporis.) Frequentius inscitia dicitur eius, qui insciens est. Hic nouè ad rem refertur, pro ignoratione.

54 Animaduersores uitiorum.) qui obseruant uitia. Nouè dixit.

55 Cum omnis honestas manet à partibus quatuor.) Manet dixit pro proficiscatur, pro quo Horatius dixit, defluat: Multaq; merces unde potest tibi defluat æquo Ab Ioue.

56 Consociatio hominum.) Pro coniunctione.

ANNOTATIONES ALIQVOT

sermonum ac uocum in secun=
dum librum de Officijs.

- 1 **Q**uemadmodum.) pro quo pacto : secus positum est, quàm cum dicimus, quemadmodum diues est, ita potens.
- 2 Ducerentur,) Venustius ducitur alicunde, quod inde profisciscitur.
- 3 Sequitur.) Tritius est, superest, restat, reliquum est, consequens est, ut de officio dicamus. Minus autem usitatum est, sequitur, in eodem sensu.
- 4 Maximè utile.) Cicero uidetur uitasse superlatiuum huius nominis, utilissimum, siue utilimum.
- 5 Nec me angoribus dedi.) Dat se uoluptatibus, aut dolori, qui non repugnat, sed sese permittit.
- 6 Ad philosophiam retulissim.) Vt aliquò se confert, qui profisciscitur: ita se refert, qui redit, & repetit quod antè reliquerat.
- 7 Multum adolescens.) Nouitate uenusta nomini substantiuo addi solet aduerbium epitaescos, admodum adolescens, admodum puer, aut puella, Ne parum sis leno, nimium mater es. Sed hoc loco multum referendum est ad genitiuum temporis, interiectis in medio dictionibus nonnullis.
- 8 Amicorum, & reipub. temporis.) Nouè dixit tempus amicorum, & reipub. pro tempore, quod amicorum, & reipub. negotijs impendebatur.
- 9 Requies curarum.) Vt animi requies dicitur, ita & curarum requiem dixit, cum à curis quiescitur. Quasi dicas, otium metis, & otium studiorum, cum à studijs cessatur.

Aliquid

- 10 Aliquid acquirit.) Acquirere non est simpliciter aliquid nasci, sed adiungere potius his, quæ iam parta sunt.
- 11 Nos autem ut cæteri.) Ordo sermonis perturbator est, & obscurus amphibologia. Sic ordinari potest: Nos dissidentes ab his, nempe Stoicis, qui alia dicunt esse certa, alia incerta, sicut & cæteri Academici dissentiunt, dicimus alia probabilia, alia improbabilia. Et mox contraria posuit, pro uero, siue rursus.
- 12 Quod me impedit.) Vetat me loqui, usitate dicimus: obstat mihi loqui, non ausim dicere. Cum autem impedire nihil aliud sit, quam impedimento esse: nouè dixit Cicero, impedit me sequi. Mollius, & tritius est, impedit quò minus sequar.
- 13 Causarum esset facta contentio.) Contentionem dixit, pro comparatione, siue collatione. Sic numero 48. libro secundo, Sed si res in contentionem ueniet.
- 14 Constitueret honestū.) Constitueret dixit, pro poneret.
- 15 Ad eam speciem traducenda.) Traducere dixit, pro in diuersam partem ducere, siue transferre: quod uerbum in hoc quidem sensu est usitatus.
- 16 Principes inueniendi fuerunt.) Principes dixit primos, sed nouè addidit gerundium inueniendi, sentiens primos inuentores.
- 17 Conspiratione hominum.) Conspirationem usurpauit in bonam partem.
- 18 Nulla tam detestabilis.) Videbatur posci, ut: sed quoniā, quæ non, resoluitur in, ut ea non, subiecit quæ, pro, ut ea.
- 19 Artibus tribuuntur operosis.) Operosis dictum uidetur ab opera, non ab opere. Operosum dicitur, quod multo opere

to opere, multoq; negotio constat. Hic operosas dixit, quod operis, non animi uiribus exerceantur.

20 Quibuscum congregamur.) Congregamur dictum est pro, consuetudinem habemus, & idcirco addidit, cum quibus, ut dicimus, mecum habet consuetudinem.

21 Siquid importetur nobis.) Importetur incōmodum: nouè dixit, pro inferatur.

22 Cū reflauit.) Reflare fortunam dixit, quum est aduersa: quemadmodum resistit, qui ex aduerso obstat: & repugnat, qui ex aduerso pugnat.

23 Aut spe sibi id utile futurum.) Nouè nomini addidit uerbū. Quis enim ausit ita loqui, uenio huc spe, te mecum iturum ad coenam? Mollius tamen est, cum additur, ducitur spe, ductus spe. Nā spes est, pro spero, satis usitatū est.

24 Vel ad perpetuitatem.) Cū perpetuum ferè accipitur pro continuo, hic perpetuitatem usurpassè uidetur pro eternitate.

25 Compunctum notis.) Compunctum dixit, undiq; notatum. Vnde uidentur theologi dixisse compunctionem.

26 Desitum est enim uideri.) pro desijt.

27 Ex bellis Transalpinis triumpharunt.) Triumphamus hostem, quem in triumphum ducimus: & triumphamus ex his, unde triumphum referimus.

28 Capitur beneficijs.) Mirū cur non uitarit amphibologiā: nam capitur beneficijs, qui ducitur, & delectatur beneficijs: hic sentit beneuolentiā adipisci nos beneficiēdo.

29 Amor multitudinis commouetur.) Commouetur pro excitatur, in bonam partem.

30 Capere consilium.) Dicitur non qui consulit alium, sed

sed qui ipse reperit consilium.

31 Animi despicientia.) Nouè dixit despicientiam, pro magnitudine, qua infra nos posita contemnimus. ac mox magis nouè dixit.

32 Admirabilitatē facit.) Pro eo quod est usitatus, Reddit hominem uehementer admirabilem.

33 Nec illi quidem.) Sunt qui dubitent, satis'ne Latium sit uti, nec, si sequatur, quidem. Hic tamen ita est locutus Cicero, atq; alijs quoque locis, nequis causetur hic fuisse casum, uelut libro tertio, numero 64. nec illi quidem septem. Rursus numero 73. Rursus numero 87. Rursus 89. Item 90. Item 102. Item de Amicitia, numero 18. Rursus 20. Rursus de Senectute, numero 27. Item 28. ac mox 39.

34 Lælius is, qui sapiens usurpatur.) Nouè dixit, pro eo quod erat, cui usus tribuit cognomen sapientis.

35 Cum prohiberet iniuria.) Pro eo quod erat, defenderet ab iniuria.

36 Nam aliter iustitia non esset.) Aliter nouè posuit, pro alioqui, quomodo usurpatur & aliàs. Nam secus ad hunc modum non ausim usurpare.

37 Sed etiam collocandē.) Collocatur opera, collocatur horæ, collocatur beneficium, collocatur & pecunia, quæ infumitur aut impenditur, sed id magis sit nouum in oratione absoluta. Mollius est cum dicimus, collocauit in nugis, collocauit in ingratum, malè collocatum beneficium.

38 Tandiu laudabitur, dum, &c.) Videbatur quandiu magis responsurum ad tandiu. Et tamen hoc negligens subiecit dum.

39 In hominum ignoratione uersatur.) Nouè dixit, pro hominibus est ignota.

40 Benignè fit indigentibus.) Bene fit, quibus præstatur beneficium, pro quo Cicero nouè dixit, benignè fit, impersonaliter.

41 Gratificandi.) Gratificandi dixit, quod Græci χάρις, non ad gratiam aliquid faciendi, sed præstandi beneficium.

42 Que te, malum, inquit, ratio.) Malum hîc uel aduerbium est, uel, si malis, interiectio indignantis. Hoc nō intelligens sciolus quispiam, ita locum hunc in plerisq; codicibus deprauarat: Quod te malum, inquit, rationis.

43 Sed diligēter, atq; moderatè.) Diligēter hîc usurpat, nō illo uulgari more, sed ut idem ualeat quod cū delectu.

44 Vt his ingratissimè esse non liceat.) Docent illud grammatici, hoc genus sermonis trifariam efferri, non licet esse ingratissimè, non licet esse ingratos, non licet esse ingrati. Primum elegantissimum est, postremum durissimum.

45 Latissimè manat.) Dixit Cicero, sicut latissimè patet, latissimè spargitur.

46 Gratiam autem & qui reddiderit.) In locum huic affinem argutatur Aulus Gellius libri primi cap. 4. Is ibi citatur ex oratione M. Tullij pro Plancio.

47 Gratum se uideri studet.) Vetusto more dixit, cū usitatius sit, qui gratus uideri studet.

48 Qui rem haberent.) Dixit absolute, pro diuitè esse: secus autem cū dicimus, rem habet cum illo.

49 Nulla antea cū fuisset.) Annotanda est nouitas compositionis, nam simplicius erat, cū nulla antea fuisset.

Expila

30 Expilatio, direptioq; sociorū.) Hoc annotavi, quòd quidam putant expilandi uerbum non posse referri ad personam, sed duntaxat ad rem. Expilatur ararium, hic uidemus & socios expilari.

31 Quid? qui eius, &c.) Quid separandum est à reliquo sermone: habet enim nihil aliud, quàm uehementiam orationis, & excitat auditorem.

32 Habere quæstui.) dixit quemadmodum dicimus habere risui, habere ludibrio. Quod tamen non itidè liceret in cæteris omnibus.

33 Optimates exterminarentur.) Exterminare dixit in exilium abigere. Quo uerbo secus utuntur Theologi.

34 In Sicyonem attulisset.) Si Sicyon hîc est urbs, mi- rum est additam præpositionem more Græcorum.

35 Ita perfectum est.) Perfectum est, simpliciter usus est, pro factum est. & mox:

36 Concordia constituta.) dixit pro facta, siue inita, siue constabilita. Nam aliàs constituta dicuntur, quæ de- cernuntur, aut præscribuntur.

37 Ad sua uel tenenda, uel recuperanda obsit in uidia.) Nouè dixit, obsit ad hanc rem, quemadmodum dicimus, conducit ad id.

38 Valere ut malis, quàm diues esse.) Valere dixit ab- solutè, pro bene ualere. Et attende compositionem, uale- re ut malis, quasi carmen sit, non prosa oratio.

39 Ad medium ianuae sedentibus. Non dubito quin meo iudicio subscripturæ sint eruditorum centuriæ. Siquidem omnino legendum arbitror, ad mediū Ianum, ut intelli- gamus eam fori partem, in qua cōsistebant fœneratores,
 & in

IN II. LIB. DE OFFIC.

Et in qua uersabantur, quibuscum illis res erat. Damasippus apud Horatium libro Sermonum 2. Satyra 3. ex negotiatore factus philosophus Stoicus, ita loquitur:

Postquam omnis res mea Ianum

Ad medium fracta est, aliena negotia curo

Excussus proprijs.

Quem locum sic explicat Porphyrio, Quid omnes ad Ianum in basilica stabant foeneratores. Acron ita, Iani statuæ tres erant, ad unam illarum solent conuenire creditores, et foeneratores, alij ad reddendū, alij ad locandum scenus. Hæc Acron: quem suspicor de suo adfinxisse commentum de tribus statujs, è quibus Christophorus Landinus facit tria templa. Probabilius est medium Ianum uocari, quòd in medio foro basilicam haberet. Erat enim olim aliud foeneratorum genus, qui in foro uersabantur, numeraturi protinus, si quis quid præsentè pecunia mercaretur. Friuolum est autem, quod Landinus medium Ianum exponit mediam mercaturam. De his utique sensit Marcus Tullius, qui Romæ in foro ad medium Ianum sedebant, de bene collocanda pecunia disputantes. Verba Ciceronis sic habent: Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius à quibusdam optimis uiris ad medium Ianum sedentibus, quàm ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. Hæc Tullius: et paulò antè facta est de foenerando mentio, quod licet improbet Cato, tamen hinc colligit Cicero, et olim utilitatum comparationes fieri solere. Porro qui ad medium ianue, de hemicyclis interpretantur, hoc adferre maluerunt, quàm nihil dicere. Primum

enim hemicycla non sunt ad medium ianuae, sed circa ianuam potius: nec qui illic desidet, magis disputant de bene collocanda pecunia, quam de rebus quibuscumque alijs, ac plerumque de nugis. Iam in scriptura facilis fuit lapsus. Ad medium Ianum, fortassis notula superposita, uel, erat obscurior. Ea sublata, Ianu nihil significabat: itaque scriba fecit Ianuae. Aut aliquis semidoctus, qui non legerat Horatium, eoque non intelligens quid esset medius Ianus, uerbit in medium ianuae. Nec id miror accidisse uel scribae, uel erudituli cuiuscumque, et audaculi uitio: magis miror in opere tam celebri, tam utili, quod omnium manibus terebatur, quod quotidie praelegebatur in scholis, quod ad uerbum ediscebatur, tam insignem mendam haecenus a nemine fuisse animaduersum, quod equidem sciam. Sed utinam pauciora monstra laterent, ac fallerent in optimis autoribus. In hoc pulcherrimo facinore libens exhorter eruditos, ut sese mutua opera iuuent, nec inter se contentionebus amarulentis digladiantes, nec publicis studijs, siquid feliciter animaduernerint, inuidentes, quemadmodum hoc nunc damus, daturi plura, si uires animo respondeant.

ANNOT. IN III. LIB.

DE OFFIC.

1 SI discendi labor.) Discendi nouè dixit pro discere.

2 Ea efficiens est utilitatis.) Cupiens uoluptatum, et similia, satis in usu sunt: hoc ut minus usitatum annotare uisum est.

3 Conuenienter naturæ uiuit.) Verbi casum addidit aduerbio. Id tamen apud Græcos usitatus est, quam apud Latini

Latinos.

- 4 Progreſſione diſcendi .) Progreſſionem dixit profe-
ctum. Rurſus paulò poſt: Siqua ad uirtutem facta eſt pro-
greſſio. Ingreſſus initium eſt, progreſſio profectus.
- 5 Eſt alibi citatum.
- 6 Aliter enim teneri non poteſt.) Aliter rurſum prope-
modum poſuit pro alioqui.
- 7 Reſpublicæ continentur .) Continentur dixit pro
conſtant: nam aliter continetur, quod comprehenditur,
aut incluſum eſt.
- 8 Ex quo efficitur.) Efficitur dixit, pro colligitur ar-
gumentis.
- 9 Humana conſociatio.) Conſociandi uerbo fortasſe ti-
muiſſemus uti, ni Cicero uſurpaſſet.
- 10 Violare alterum.) Græcorum more uſurpauit uiolan-
di uerbum, non pro uim inferre, ſed pro iniuriam facere
præter ius: Græci dicunt ὕβρις, & ὕβρις non ſolùm
uim, ſed etiam iniuriam, aut contumeliam uocant.
- 11 Conſilium eius peremiſſet.) Nouè uſus eſt uerbo pe-
rimendi, niſi fortè mendum ſubeſt, & legendum eſt
præueniſſet.
- 12 Deos, homines que celare poſſumus.) Celamus eos ali-
quid, quibus clam eſſe uolumus, quod agimus.
- 13 Minime mali illi quidem.) Peculiare eſt Ciceroni, ad
hunc modum coniungere, quidem & illi. Quod ut apud
hunc frequens eſt, ita haud ſcio, an apud quenquam ue-
tuſtiorum reperiatur.
- 14 Eſt alibi citatum.
- 15 Hoc animo inter ſe fuiſſe.) Vt dicimus, nouimus inter

nos, amāt inter se: id est, alter alterum: Ita hīc dictum est, hoc animo fuisse inter se, pro, utrunq; in alterum.

16 Eosq; exterminant.) Rursus exterminant dixit, pro ē finibus suis eiiciunt, quod Latini interpretes ferē usurpant pro perdunt.

17 Orationis uanitatē.) Vanitatē dixit, ut pugnet cum ueritate, cū uulgō putemus uanitatē esse iactantiam, fortassis ob id, quōd ferē mentiantur multa gloriosi.

18 Argentariam faceret.) Vt dicitur quæstum facere, qui negotiatur, ita argentariam facere dixit Cicero.

19 Nomina facit.) Nomina facit, qui se debitorem constituit: unde & bonæ fidei debitores, bona nomina dicuntur.

20 Semel indicaretur.) Indicare dixit æstimare. Id an= notandum putauimus, quōd in omnibus, quos uiderim, libris, comperimus deprauatum, iudicaret.

21 Vt etiam si minoris.) Vt, hīc habet significationē exempli, confert enim factū cum facto. Qui pluris emit, cum licuisset minoris emere, uir bonus est iudicatus, at non sapiens. Perinde esset si minoris uendidisset, quod potuisset pluris uendere. Hoc admonere uisum est, quōd hūc locum compererim in multis exemplaribus uitiatum, nec à commentariorum scriptoribus aliquid lucis adduci.

22 Proscripsit insulā.) Proscribitur homo, qui damnatur hoc genere dānationis. Proscribitur domus, aut alia res, quæ uenalis scripto proponitur. Et insulam uocat domū undiq; semotā ab alijs ædibus, quales ferē sunt magnatū.

23 Societas est enim.) Subinde occurrit apud Cicero= nem ut, enim, ponatur tertio loco, præsertim cū adest uerbum, est.

24 Interior eorum.) Interiorem dixit coniunctiorem, unde & Intimè coniuncti dicuntur, qui arctissima necessitudine copulati sunt.

25 Testamentarijs.) Qui supponunt testamenta, aut alioqui fraude inuadunt.

26 Vinculis, & carcere castigandi.) In nonnullis exemplaribus pro castigandi habebatur fatigandi.

27 Ab hoc nulla fraus aberit.) Reciprocauit loquendi formam. Nam dicimus, non abest à suspitione furti. hic dixit, ab hoc nulla fraus aberit.

28 Est alibi citatum.

29 Perficiat ut ueros hæredes.) Rursus perficiat dixit, pro efficiat, siue faciat.

30 Est alibi.

31 Est alibi.

32 Non ita magnum.) Ac mox, non ita turpe. Ita, tantum habet epitasin, nihil autem illi respondet: quod genus est cum dicimus, ita sum hominem expertus, ut de nouo nolim experiri.

33 Quid? qui omnia recta, &c.) Quid separandum est à sequenti sermone, quod expergefâcit lectorem, ut antè monstrauiamus.

34 Nam si uiolandum est.) Duo senarij sunt, tametsi Cicerone non seruat in his legem quam Græci Tragici seruât. Porro in secundo uersu aut uerbum, Est, elidendum est, aut, In, præpositio, ut constet metri ratio.

35 Multi iniqui, atque infideles.) Trochaicus est tetrameter, catalecticis, nisi quòd duæ postremæ dictiones in omnibus, quæ uiderim, exemplaribus erant transpositæ,

boni sunt, pro sunt boni.

36 In maxima gratia.) In precio esse, usitatissimum est: in honore esse, itidem: In gratia, & gloria esse, non perinde usitatum: eoq; annotauimus, nequis ita uereatur loqui, cum Cicronem habeamus autorem.

37 Si præmiū ei proposuisset.) Videbatur hic sermo magis requirere pronomen reciprocum, si præmium sibi proposuisset, sed uitasse uidetur amphibologiam. Nos in huiusmodi locis ferè solemus uti, ipsi.

38 Præfractè defendere.) Cicero præfractos uocat, qui à sententia non possunt abduci, quos (ni fallor) Græci uocāt ἀσάδεις. Præfractè, pertinaciter. Hoc annotaui, quod eruditi quidam contenderint has uoces non esse Latinas.

39 Stare conuentis.) Pro seruare pacta. Inusitatus quod dixit Vergilius, Manere dictis: apud Græcos mollius est ἡμῖν εἶναι.

40 Et Ithacæ uiuere ociosè.) Opinor Ithacam hic usurari pro urbe eius insulæ, alioqui mirum non addidisse præpositionem: neque enim permitteret hic sibi Cicero, quod permisit Vergilius, Deuenere locos letos, &c.

41 Cuius ipse princeps.) Sex senarij sunt, quos oportet in exēplaribus distinguere. Cuius, hic nō efficit nisi unicam syllabam, quæadmodum apud Terentium, eius, deos, monosyllaba sunt ubiq;. Et istius, simili contractione fit dissyllabum. Et percepset legendum, pro percepisset.

42 O' fides alma.) Trochaicus est tetrameter catalecticus. Aptum dixit undiq; concinnatum, ut Vergilius, Stellas ardentibus aptum. Cum quid ita contextum est gemmis, aut similibus, ut inter sese contingant: nam ab ἀπὸ οὐκ

Latina

IN LIB. DE AMICITIA.

Latina uox ducta uidetur.

43 Alibi citatum.

44 Iniussu enim populi,) Iussu tuo, iniussu tuo, iussus feci, iniussus fecisti.

45 Fœdus fecerat.) Inire fœdus, ictum fœdus, pactum fœdus, ferire fœdus, percussum fœdus, usitatoria sunt, quàm facere fœdus: & ob id annotare uisum est.

46 Efficiens uoluptatis.) de quo & antè annotauimus.

IN LIBRVM DE AMICITIA

ANNOTATIONES.

1 CVM sepe multa narraret.) Quoties iunguntur hæ duæ uoces, cum & tum, solet conuenire modus uerborum: quod mirum est hic non fieri. nisi fortè pro narraret, legendum est narrare.

2 P. Sulpitio utebare multum.) Pro, multum fuisti familiaris. Satis noue dictum est: nam usitatus, multus mihi cum illo fuit usus.

3 Ne inquam, & inquit sepe int.) Hunc locū subtaxat Valla in præfatiōe dialogi de Libero arbitrio, sed argutè magis, q̃ grauitè: nā Cicero nō enumerat uerba, sed ostēdit genus sermonis, quod submolestū esse solet iteratione.

4 Sibi suo tempore.) Sibi additum est, non perinde festiuitatis gratia, atq; ut respondeat dandi casui, qui mox sequitur, reipub.

5 Eam uiriditatem.) Vigorem appellat uiriditatem: nam languescit uiror in his, quæ marcescunt.

6 Qua se in gete.) Aut subaudiēdū de, qua de se, aut addēdū. In nōnullis, pro qua, habebatur quæ, quæ lectio mihi magis arridet, ut referatur ad uerbū differebat, ea, quæ.

b 4

Quia

- 7 Quia cum Scipione uixerim.) Non inficior, quia, iungi uerbis subiunctiuis, sed haud scio, an scriptū fuerit qui.
- 8 Aequae Graecorum.) Legendum arbitror, eaq; Graecorum. ut sensus sit, ne doctorum quidem omnium hanc esse consuetudinem, sed tantum Graecorum.
- 9 Nisi in bonis.) In bonis Graeco more dixit, pro inter bonos.
- 10 Qui assequuntur, quantum homines possunt.) Assequuntur, positum uidetur pro sequuntur, ut Graeci dicunt *παρακολουθεῖν*. Quamquam in alijs legitur, sequuntur.
- 11 Ex infinitate societatis.) Rursus infinitatē dixit, haud scio unde. Nam ab infinito non potest dici, infinitas, sed ab infini potest, quod tamē in usu non est, quemadmodum ab affini dicitur, affinitas. Nisi quod in nonnullis exemplaribus habebatur, ex infinita societate generis humani.
- 12 Nihil aliud nisi.) Et nihil aliud quā, utrunque Latine dicitur.
- 13 Praclare illi quidem.) Rursus iunxit, quidem & illi, quod alibi notauimus.
- 14 His cōmunis uita contenta.) His contenta est, uisitatius dicitur: de his contentus sum, nescio an Latine dicitur. Videndū igitur an locus mendo uacet, ac planē nō puto.
- 15 Vita uitalis.) Sic enim Graeci *βιωτὴς ἐὶς*, quasi dicas, uiuibilis uita. Nam iuxta ueterum exemplaria lego, Principio, cui potest esse uita uitalis: non, quis potest, ut in nonnullis scriptum uisitur.
- 16 Quocum omnia.) Ego malim, quicum omnia.
- 17 Opes ut colare.) Hic palam distinguit opes à diuitijs. licet altera res alteram soleat comitari. Inopia est amicorum

IN LIB. DE AMICITIA.

eorum magis, quàm rei familiaris, & potentie uerius,
quàm egestatis.

18 Citatur alibi.

19 Luxuriæ conditione.) Conditione dictum hic uidetur
non à condendo, sed à condiendo: inter iuuenes autem
his etiam de rebus solet esse concertatio.

20 Ab amico quippià cõtendisse.) Attẽde rectẽ dici, hoc
à me cõtedit, pro eo quod erat, hoc à me instanter petijt.

21 Neque immunis, neque superba.) Immunem dixit,
quòd abhorreat à communi functione uitæ, quemadmo-
dum olim philosophi, & hodie monachi quidam, abhor-
rentes à functionibus uitæ communis.

22 Amabilißimum nodum.) Ab huiusmodi nominibus
rarò uidemus superlatiua. Quis enim legit mirabilissi-
mus? aut quis sic ausit loqui?

23 Neq; diligit.) Neq; & Nec coniunxit. Id annotaui
ob quosdam in his nimium superstitiosos.

24 Intolerabilius fieri potest.) Fieri dictum uidetur, pro
esse, Græcorum more *ἡμιᾶς*, siue *ἡμιᾶς*.

25 Quasi termini diligendi.) Aut diligendi dixit, pro
undiq; eligendi: aut dirigendi legendum est.

26 Quàm multa enim.) Quantò sanctius hic, quàm
theologi quidam, qui docent ordinem charitatis.

27 Edixero.) Videtur usurpasse pro dixero.

28 Est enim quatenus.) Græco tropo est usus, est ubi, pro
alicubi: est quatenus p aliquo usq;: est quãdo, pro aliquã-
do: est ut uir uiro præstet, aliquo modo uir uiro præstat.

29 Mediocre telum.) Telum noue dixit instrumentum.
Nam telo assequimur quod ferimus.

30 Quasi aquis tempestatis.) Aequè mendosè, ni fallor, in alijs scriptum habebatur, equis temperatis:legendum arbitror, equis tentatis. Nam ut modicè tentamus equos prius,quàm laxemus illis frēnos ad cursum, ita non statim recenti amico per omnia fidendum. In uetustioribus exemplaribus habebatur aquis, non equis, & hæc lectio magis etiam arridet mihi. Quandoquidem cursus nō minus nauium dicitur, quàm equorum, & nautæ demissa bolide tentant profunditatem aquarum prius, quàm passis uelis se credant arbitrio uentorum.

31 Periclitatis moribus.) Periclitatis, pro expertis, & experimento probatis,dixit passiue.

32 In bonis rebus.) Nouè bonas res dixit,secundas:malas,aduersas.

33 Sicut aliarum rerum societates.) Licet reclament omnes,quos uiderim codices: tamen dubitandum non est, quin pro societates, legendum sit satietates.

34 Patres esse duxerunt.) ὕποκτο, id est, existimarunt,ita planè usurpauit: licet eos quoque ducimus esse patres, quos patrum habemus loco,cum sciamus non esse.

35 Aliter enim amicitie stabiles.) Aliter pro alioqui, sicut antè commonstrauimus.

36 Quanta maxima potest.) Hanc loquendi formam nullus auderet sequi,nisi Ciceronem autorem haberemus.

37 Ad amicos redundet infamia.) Ab inundatione, quæ ripas egressa, proxima quæq; comprehendit,atq; inuolauit:usitatius tamen est,recidit.

38 Et alterum acquirit.) Rursus acquirit dixit, pro adiungit,& lucro apponit.

Ibidem

fortune tenuitatem, & rei familiaris angustiam significans. Rursus in Satyris:

- Validus male filius in re

Præclara sublatus.

diuitem indicans. Ad eum modum Ennius, opinor, describitur, Fortuna quidem tenui uir, sed egregiæ fidei. Nam uidetur & hoc esse fragmentum Enniani carminis, ut finis Heroici carminis sit, ille uir haud magna in re: initium alterius, Sed plenus fidei. Non refellam hîc uel Petri Marfi, uel aliorum commenta. quum ipse Theodorus uideatur non animaduertisse M. Tullij sensum, ut qui uerterit, ὁ πᾶν μετὰ τοῦ πᾶν ἡρώδης. quasi Flaminius de re leui sit discruciat. Alioqui addidisset articulum Græcum, ὁ ἐν τῷ πᾶν μετὰ τοῦ πᾶν ἡρώδης. Sed quid hoc ad rem, aut quî coheret, sed plenus fidei? Certè ὁ πᾶν ἡρώδης, Græcis ad facultates referri non potest.

4 Quibus meipsum.) Nouum sermonis genus. neque enim hoc sentit se suspicari, iuuenes iisdem rebus commoueri, quibus suspicatur seipsum commoueri. Quis enim suspicatur de seipso?

5. Et si te quidem.) Quod hîc absolutè subijcit, etsi, id usitatus est in quanquam, neq; tamen uerebimur imitari Ciceronem.

6 Adeptam.) dixit passiue, quod tamen inuētū rarius est.

7 Tanquam Deum sequimur.) Allusit ad prouerbium, ὡς θεῶν, unde θεομαχῆν dicuntur, qui naturæ repugnant.

8 Quasi uictum & caducum.) Sic habetur in plerisque codicibus: legendum autem, uietum, atq; caducum. Nam flaccidum, & uigore carens, uietum dicitur.

Spera

IN LIB. DE SENECTUTE.

- 9 Speramus quidē senes fieri.) Nouū est, speramus fieri.
 10 Propter opes, & copias.) Nouum est copias usurpā-
 ri, non pro exercitu, sed pro diuitijs.
 11 Constat hunc locum deprauatē legi in omnibus uulga-
 tis exemplaribus, excepta proxima editione, quam multo
 castigatiorem debemus eruditissimo uiro Baptista Egnat-
 io. At ut ille legit, ita uertit Theodorus Gaza: ὅτε ἂν
 εἰς τὴν σφίριον ἔλθῃ, ἐνδὲς ἂν ἐπύχωνον, οὗτε εἰς τὸ ἀθωνεῖον,
 διουκασὸς ποτε ἂν ἔγνῃ. Ac rectē quidem Theodorus, sed
 aliquantō commodius extulit Plutarchus, in Apophthe-
 gmatibus: ἀλλὰ δὲ ἂν εἰς τὴν σφίριον ὧν ἐγεύμετο ἐνδὲς,
 οὗτε οὐ ἀθωνεῖον.
 12 Qui Tarentum recepit.) Recipit, qui promittit. Re-
 cipit se, qui redit unde uenerat. Recipit, cui redditur
 aliquid. Recipit urbem, qui recuperat.
 13 Ad Capuam.) Nomini urbis addidit præpositionem.
 14 Quæ pro reipublicæ salute fierent.) Est ab Hectoris
 apophthegmate profectum:
 Εἰς οἰωνὸς ἀεῖρος ἀμύνεσθαι πρὸς πᾶσι.
 15 Contra rempublicam ferrentur.) Ferri dicuntur ple-
 biscita, ac leges. Cæterum quod sequitur, contra auspicia
 ferri, legendum arbitror fieri, non ferri.
 16 Ad Appij Claudij.) Ut usitatum est, accedit ad hoc: ita
 infrequens est, accidit ad hoc. unde mendum arbitror. Ut
 in alijs rectius legi, accedebat: Gaza uertit προσῆλθῃ.
 17 Hanc ille egit.) Nouum est, egit orationem, pro hæ-
 buit orationem. & mox:
 18 Septem, & decem annos.) Opinor legendum, de-
 cem annis. Neque enim dicimus triduum post tuum abi-
 tum pro

tum profectus sum, sed triduo.

19 Similesq; sunt, ut siqui, &c.) Nouè dictum & hoc Ciceroni: mollius erat, perinde faciunt ac si, &c. Hoc an- notandum putauì, ob quorundam in dicèdo morositatem: cum uideamus nec Ciceronem usque adeò fuisse supersti- tiosum: ac paulò inferius.

20 Cedò qui uestram remp.) Apparet carmen esse iam- bicum tetrametrum. Et cōstat addita dictione, tantā, quæ in nostris uulgatis exēplaribus hactenus non habebatur, ut legatur ad hunc modum, Cedò quī uestram remp. tan- tam amīstis tam citò. Sed aliter uersus non perinde con- stat suis pedibus: nisi legamus, Porro ueniebant rhetores noui, stulti, adolescentuli. Et uerisimile est scribā pro rhe- tores posuisse oratores, ceu uocem idem pollentem. Cæ- terum quod in uulgatis codicibus habetur scriptum, ut est in Ennij poëtæ libro: in alijs, ut est in Ennij postero- re libro, haud dubiè mendosum est: legendum autem, ut est in Næuij ludo: siue in Næuij poëtæ ludo. Nam & Theodorus uertit ἡ παλαιά. Præterea quod in nostris habetur, Sic enim percontantur, quæadmodum legisse ui- detur Theodorus: alij legunt, Sic enim percontanti, ut est in Næuij ludo, respondentur & alia, & hoc in primis.

21 Cum ætate processisset.) Qui prouectæ sit ætatis, eum dicit in ætate processisse.

22 Ne perdam memoriam.) Vulgò putabatur officere memoriæ, si quis legeret inscriptiones sepulchrorum.

23 Omnia quæ curant.) Aliter curo, quibus prospicio: aliter ea, quæ mihi curæ sunt.

24 Ad summā senectutē.) dixit, sicut ad extremū, pro po-
stremo

IN LIB. DE SENECTUTE.

stremo loco. Et nouè dixit facere Tragicædias, p scribere.
 25 Quàm illud idem.) Fortasse uidebor nodum, quod
 aiunt, in scirpo quærere. At mihi uidetur locus nō carere
 mendo: siquidem hic sermo, Melius Cæcilius de sene, & c.
 uidetur esse non Catonis probantis quidem superiorem
 Cæcilij sententiam, sed hanc nō perinde probantis, quam
 his uerbis complexus sit:

Aedepol senectus, si nil quicquam aliud uitij
 Apportet secum, cū aduenerit, unum id est satis,
 Quòd diu uiuendo, multa, quæ non uolt, uidet.
 Sunt senarij tres comici: & sermo non sapit orationem
 rhetoricam, ut nihil quicquā, & apportet secum, & quæ
 non uolt. Hæc nimirum comicorum ueterum sunt. Quan-
 quàm uero proximū est Lelij personam ab hoc loco sub-
 mouendam esse, ut accipiamus Catonem ipsum diluere,
 quod sibi è Comico obiecerat. Hic mecum facit Theodo-
 ri Gaza interpretatio. Nec apud hūc additur Idem, quæ
 uox mihi uidetur adiecta abs quopiam uolente explica-
 re, quid demonstraret pronomen illud, qui subiecerit, Id
 est: ac rursus ex, Id est, abbreviato factum Idem.

26 Illud uero idem.) Rursus hic sermo uidetur esse Ca-
 tonis sibi locū alterum obijciētis ex eodem poëta, citantis
 alios duos è Cæcilio senarios: Tum etiam in senectæ hoc
 deuto miserrimū, Sentire ea ætate esse odiosum se alteri.
 Quòd si uersus duriusculi sunt, nemo miretur, cum alicu-
 bi Cicero scriptorem hunc ferreum uocet. Citantur autem
 apud Nonium Marcellum ex Ephestione in dictione Se-
 nium: ubi non additur etiā, & deuto legitur, nō reputo.

27 Facit sibi audientiā.) Nouè dixit, neq; non eleganter
 tamen

tamen pro eo quod erat, reddit attentum auditorem.

28 Nec erat ei uerecundum.) Opinor pro uerecundū legendū uerendū, nisi fortè idē est, uerecundū, & uerendū.

29 Citantur alibi.

30 At multi ita sunt.) Hoc loco quidam admiscuerant rursus personā Lelij, cum sit sermo Catonis sibi ipsi hæc obijcientis, ac sibi mox respondentis.

31 Nisi tanquam lumini.) Tanquam, adhibuit ad significandam similitudinem.

32 Quanta percipi potest maxima.) Hanc sermonis figuram & antè notauimus.

33 In Gallia exhortatus est à scorto.) Si locus mendo uacat, exhortatus est, dixit passiue.

34 Damnati rei capitalis.) Damnati capitis usitatus est. Damnati rei capitalis, hoc uenustius, quò rarius.

35 Crebro funali.) Funale dixit tedam, aut facem ex unctis funibus contextam.

36 Tum compotationem.) Græci Latinè non loquuntur, sed Cicero interpretatur, quod Græci dicunt συμπόσιον, & συνέστυπον.

37 Magisteria delectant.) Magisteria uidetur dicere regna conuiuialia.

38 Emeritis stipēdijs.) Emeritos milites usitatè dicimus. Emerita stipendia rarius est.

39 Secumq; ut dicitur, uiuere.) Apparet idem esse cum illo, Tecum habita.

40 Fabulam eliciisset.) Vide num locus mendo uacet, & num legendum, edidisset.

41 Versiculo quodam.) Versus adhuc extat:

Γρηγόριος

IN PARADOXA CIC.

Ἀσίδυε διδύσκων πλείονα, σὺ γὰρ γέροντες.

Id est,

Astidue discens plurima, sio senex.

42 Existit tanquam ad articulos.) Elegäter dixit gemmam existere, quæ emergit. Et ad articulos dixit, pro iuxta articulos.

43 Non illius quidem iustæ.) Vide lib. 2. Offic. num. 33.

44 Quod cuiq; temporis.) Quod temporis, pro quod tempus, siue quantum temporis.

45 Coagmentauit.) pro coniunxit, siue conglutinauit.

46 Neq; funera fletu faxit.) Nouum est, facere funus, pro agere exequias.

47 Quod ad eam propius adsum.) Nouum est, adsum ad eam, eoq; uisum est annotare.

48 Vitam essem terminaturus.) Vt naufragiū facit, cui nauis frangitur: ita terminat uitam aut gloriam, cui finitur gloria aut uita.

49 A calce ad carceres.) Mirè cōiunxit diuersas metaphoras. Siquidē a calce, sumptum est a corpore humano: ad carceres, sumptum est a spatio ludorum equestrium.

IN PARADOXA CICERONIS.

1 Sed dicendo consequi tamen.) Conduplicauit conjunctionem, sed tamen: sicut fit in attamen.

2 Quæ non sanè probantur in uulgo.) Nouè dictum in uulgo, pro uulgò.

3 Quasi punctis quod proposuit, efficit.) Rursum efficit positum est pro colligit.

4 Ludens conieci.) Conieci pro collegi positum, sed tumultuariè.

5 In tuo nomine apparuit.) Nouè dictū uidetur in tuo
c nomi

nomine. Et apparuit dixit, pro in apertū prodijt, ἐφάνη, subindicans, hoc opus non esse huiusmodi, ut debeat in lucem & in publicum exire.

6 Quæ dicuntur in scholis θετικὰ.) θετικὰ positiones sunt, & argumenta disputantium. In nonnullis codicibus falsò scriptum erat, κτητικὰ, & adiectum possessiua, quanquàm & in cæteris, positiua, non à Tullio additum, sed à lectore reor adiectum fuisse.

7 Non modò non repugnant.) Non modò posuit in posteriore sermonis parte, præter morem uulgatum.

8 Suis quisq; fingitur moribus.) In alijs scriptum comperi, fingitur, & rectius sanè. Neq; enim dubium quin retulerit ad prouerbiale dictum, cuius meminit Cornelius Nepos in uita Pomponij: Suam cuiq; mores fingunt fortunam. Proinde & hìc legendum arbitror, Suis cuique moribus fingitur, aut certe, ut minimum demutemus, Suis cuiusq; moribus fingitur.

9 Matellionem.) Arbitror dici signū representans seruum porrigentem matulam.

10 In libertatē uindicari uult? Minimè.) Hìc in nonnullis codicibus addūtur ea, quæ paulò inferius adijciūtur, quibus & possumus, & debemus. Rursus quæ sequūtur, quibus & possumus, & debemus, uidentur à cōtextu reuulsa. Sic enim apparet legendū: Quid enim adiungitur, nisi uobis uniuersis, quibus & possumus & debemus? Dominiū mutare, nō liber esse uult. Nos uerò si quidem, & c.
11 Et fructuosas) Rursum fructuosas dixit, pro frugiferas. Hoc admonendum putauì, quòd quidam abhorrent ab hac uoce, tanquam parum Ciceroniana.

IN SOMNIVM SCI-

PIONIS.

Illi autem octo cursus, in quibus eadem uis est duor-
um, Mercurij & Veneris, modorum, septem efficiunt
distinctos interuallis sonos, qui numerus rerum omnium
ferè modus est.) Hic locus nonnihil torquet cruditos.
Nam & in nostris exemplaribus habetur uariis, in non-
nullis sic habetur: Octo cursus quibus eadem uis est mo-
dorum, septem eff. & c. Nec ulla mentio fit Mercurij ac
Veneris. [At Theodori uersio discrepat ab utraque le-
ctione. Sic enim reddidit: ἑξήναι καὶ μὴ οἱ ὀκτώ φέροι-
ναι ἀλλ' ἡ ἀρχὴ πρὸς ἐσι δύνανται, ἐν τῇ δὲ διαμετρικῇ τοῖς
διαστήμασιν ἡ ἡμετέρα ἀποτέλεσμα, ὅς τις δὲ τὰ ἀριθμὸς, σύν-
θεσιν ἀντιπρὸς τῶν ὄντων ἐστίν. id est: Illi autem octo
cursus, quorum gemina iisdem uis inest, septem inter-
uallis distinctos efficiunt sonos, qui sanè numerus, pla-
nè rerum omnium nodus est. Videtur enim pro modus
legisse nodus, qui uerterit σύνθεσιν. Qui addiderunt,
Mercurij & Veneris, uidentur terræ quoque dedisse
suum sonum. Quanquàm totum hoc de concentu or-
bium commentum, dictu iucundius est, quàm uero si-
milis. De terra certè non sensit Cicero, quam unam fū-
cit immobilem, docens reliquorum orbium sonos ex agi-
tatione motuq; cieri. Hoc isti parum animaduertentes,
ne sint soni nouem, eandem uocem tribuerunt Veneri &
Mercurio, quòd in organis musicis aliquoties fit, ut duæ
chordæ reddant eundem sonum. Iam quod Cicero lo-
quitur de septenario, quum orbis sint octo, bisariam po-
test explicari. Primum ut summa acuta, & ima grauis,

accipiantur pro eadem, propter summam consonantiam, ueluti fit in Magade. Deinde ut in Ciceronis sermone septem referamus non ad sonos, sed ad interuallis, efficiunt sonos distinctos septem interuallis. Siquidem in ὡς πρὸς οὐκ οὐκ octo quidem uoces sunt, sed interualla nō nisi septem. Porro quod M. Tullius ait eandem esse uim modorum in illis octo, non sentit omnes idem sonare, sed ad harmoniam absoluendam pariter agere. In quo differunt omnes à terra, cui talis uis non adest. Quid autem sequutus Theodorus, uerterit ἀτ[τ]ῆ, nō satis queo diuinare, nisi forte sensit de duplici motu sphaerarum, non de sonis. Quanquā in his quid attinet torqueri, quum ipse sermo Græcus non satis cohæreat. Et fieri potest, ut Theodorus aliud scripserit, quā legimus. Si tollantur ea uerba, quæ satis apparet ab erudito quopiam addita, demonstrauimus nihil esse scrupuli.

I O A N N E S M A T T H A E V S
P H R I S S E M I V S.

Aethionis tabula.) Mirum quā hīc uariant exemplaria, dum in alijs auctioris, in alijs actoris, in alijs actionis, in alijs Actæonis legitur: quarum lectionum nulla satis arripet. Video fuisse qui legerent Echionis, cui ego libentissimè subscripserim, quum inueniam apud Plinium Echionem insignem pictorem fuisse: & certum est Ciceronem hæc de eiusmodi tabulis loqui, in quibus quippiam erat depictum.

A R G V